

Ex Historia Prussica

J. N. J. A. D.

# DISSERTATIO

EX HISTORIA PRUSSICA

Qua ostenditur, Borussos ad generalem

*Expeditionem extra fines suos non esse adstrictos.*

Quam

*Sub Praesidio*

DOMINI

M. MARTINI Bohm

Professoris Publici, Fautoris sui semper

colendissimi

*pro virili defendere conabitur*

JOHANNES Hinck

Tempelburgensis Pomer. *Suri Practicus po-*

*Autor & Respondens* *Sta Gedanensis*

*obit 1731. Apr.*

In Auditorio Maximo

d. Octobris Anno 1700.



*E Chalcographeo Thoruniensium.*

*Tul.*

Regiæ ac Liberæ in Prussia Civitatis

D A N T I S C I

Patriæ Patribus

Magnificis, Generosis, Amplissimis, Strenuis atque Consultissimis

D O M I N I S

D O M I N I S P R O C O N S U L I B U S

Dn. Reinholdo Wieder, Regiæ Majestatis Burggrabio

Dn. Christiano Schröder Præsidi atque Protoscholarchæ

Dn. Constantino Freder Vice Præsidi

Dn. Iohanni Ernesto Schmieden Pro-Consuli

Dn. Constantino Ferber Pro-Consuli

E XVIII 203

Nec non Dominis Consulibus

Dn. Danieli Schlieff

Dn. Andreæ Borckman

Dn. Bartholomæo Vedders

Dn. Gothofredo Reyger

Dn. Georgio Schröder

Dn. Iohanni Kolkau Judici

Dn. Henrico Schwartzwald

Dn. Ioachimo Hoppe

Dn. Danieli Nimsgardt

Dn. Friderico Gotlibio Engelke

Dn. Salomoni Wahl

Dn. Gabrie li de Bommel

Dn. Nathanael König

Dn. Iohanni Ernesto, de Linda, Syndico

Magnifici, Generosi, Amplissimi, Strenui & Consultissimi  
Domini Domini

*No*vum quidem hodie ad novum certamen, sub Vestræ Humanitatis aufficio, expedio athletam, sed ita tamen expedio, ut non nisi intra literaria palæstræ sit decertaturus terminos. Novum Athletam, inquam, cui pro alieno hoc est Prussica, quam Patria, libertate decertare videbatur longe glorioius. *Quisque*, quod ne miremini, cum Iovis & Palladis, quam Martis & Bellonæ maluit digladiari satellitibus. Digladiabitur vero, imo pugnando vincet, si sub Vestræ Benevolentia clypeo securus, nullum a quopiam metuer periculum. *Quod fiet*, si opellam hanc, quam Vestræ consecravis Nominibus benevolo suscipietis animo.

J. N. J.  
Præfatio ad Lectorem  
BENEVOLE LECTOR.

I quibusdam in orbe populis antiqua patriæ libertas chara fuit, Bo-  
russis certe nostris charam fuisse, ex Historiarum monumentis abun-  
de docemur. Qui etsi initio suorum temporum adeo essent ab o-  
mni servitute remoti, ut nullum etiam alienum dominum pati volue-  
rint, quemadmodum de illis scribit Helmoldus lib. 1. Chron. Sclav.  
c. 1. n. 5. attamen, postquam vel vi & metu coacti, vel ipsi etiam  
sponte aliorum se imperio tradere cœpissent, tanti exticerunt semper pristinæ suæ  
libertatis defensores, ut hanc cum vita simul amittere, quam negligere & injuste si-  
bi detrahi, non dubitaverint. Docent nos id multa, quæ multis retro seculis, Ter-  
ris Prussicæ imminuerunt, sinistra fata. Docent bellorum certamina, quibus debili-  
tati, ad obedienciam quidem cogebantur Pruteni, nondum tamen omni libertate ex-  
uebantur. Et licet premi quidem videretur nonnunquam alieno imperio libertas  
illorum, nunquam tamen ita fuit oppressa, quin non crescentibus cum fortuna animis  
ad maiora exsurerent generositatis ausa. Itaque licet iam seculo XI tempore Boles-  
slai I. Poloniarum Regis, tributum sibi imponi passi fuissent, ut testantur non tantum  
Polonici Scriptores, inter quos est Vincentius Kadlubko lib. 2. Epist. 13. p. 138. Item Dtu-  
gess. Tom. 1. Hist. Polon. lib. 2. Ad An. 1015. Crom de O. & R.G. P. lib. 3. p. 442. Schutz  
in Chron. Pruss. lib. 1. fol. 8. Sed etiam Exteri, ut Helmoldus lib. 1. Chron. Sclav. c. 15.  
attamen non defuit & post mortem Boleslai generofus Borussis animus, quin potius  
maiori cum audacia sub Miecislaoo II. Rege iterum imperata facere drectarent; ut  
testatur Schutz lib. 1. Chron. Pruss. non immemores, quam dulce sit libertatis nomen,  
& quam multo dulcior jucunda ejusdem possessio. Ut iam taceam durissimum illud  
& plane intolerabile jugum quod sub Boleslao II. Audace Seculo XI. itemque Boles-  
lao III. Crivousto Seculo XII. sustinere cogebantur. Quod quidem eo gravius vide-  
batur

batur esse Prussis, quod cum maxima libertatis sue parte, novam & inusitatam hacten  
nus a Majoribus suis religione Christianam sibi obrudi animadverterent. Sed neque  
hic animis consiliū defuit. Boleslao enim e vivis fablato rejeerunt & grave servit  
ut iugum & Christianā religionem sustulerunt vid. Dlugoff. Lib. IV. donec tandem A.  
1454. postquam impotentis dominationis Crucigerorum pertacti fuissent, illorum  
iugum excuterent. atque sponte se suaque Regi & Regno Poloniæ submitterent. Abs  
que tamen ulla læsione libertatis sue. iurium, & privilegiorum hactenus sibi usitato  
rum. Ut testatur Privilegium Serenissimi Regis Casimiri An. 1454. ordinibus Prus  
siæ Cracoviæ datum. Neque propterea etiam hos a libertate sua abstrahere pote  
rat generalis illa Expeditio, quæ A. 1621. ad bellum cum Turcis & Tartaris ad  
Chocimum habendum Polonis indicebatur. Ad quam eti⁹ invitati fuere & Prussi,  
nullatenus tamen accesserunt, prudenter sanè ratiocinantes hac occasione & liber  
tati Patriæ vim & antiquis etiam privilegijs damnum & periculum inferri. Notan  
ter Livius noster, Cromerus in Descriptione Prussia scribit: Recepta Prussia quidem est &  
Poloniæ in societatem juris & Reipubl. sed leges tamen suas & instituta a Teuthonibus fere  
hausta vel post subactos, & ferme ex iratos priscos & Barbaros Prussos deducione Colon  
iarum e Germania importata retinuit. Consilium quoque a Senatu Regni sejunctum ob  
tinuit. Sed quid multa? ad metam iam properare oportet. Et ut hæc de libe  
rte Prutenica in genere dixisse sufficiat; visum iam est brevem & succinctam informa  
tionem ex Privilegijs terrarum Prussiæ, Comitorum Recessibus, & Regni Constitutio  
nibus depromptam publicæ luci sistere, ex qua clarissime patebit: Borussos ad gene  
ralem Regni expeditionem nullatenus esse ultra terminos suos, adstrictos. Faxit ve  
ro Deus feliciter!

§. I. Ante omnia itaque informationis huius fundamenta contineri mihi  
videbantur in antiquo & veteri Crucigerorum Privilegio quod An. 1251. per Eber  
hardum de Seyne, qui tunc vices Generalis Magistri subiit, Civitatibus Culmenſi &  
Thoruniensi renovatum ex antiquis Prutenorum Annalibus legimus. Cum illud  
jam An. 1233. ab Hermanno fuisset concessum. Habetur huius Privilegij ab Eber  
hardo de Seyne An. 1251. renovati autographū exemplar ī latino sermone scriptū in tabu  
lario Thoruniensi ut testis est oculatus B. Hartknoch in Anim. advers. ad Dūsburgij  
Chron. Part. III. Cap. 58. Quod cum adeo prolixius sit, non displicuit particulam  
eius hic adjicere, quæ huius habetur tenoris: Statuimus ut quicunque quadraginta man  
bos vel amplius a Domo nostra emerit, ut cum plenis armis & dextrario aperto & armis tali  
bus competente ad minus sit equitaturus. Quivero pauciores Mansos habuerit, cum plenis  
& alijs lenibus armis & uno Equo ad talia arma competente debet cum fratribus nostris, in  
Expeditionem, si ab eis requisitus fuerit pergere, contra Prutenos, qui Pomesani largo roca

bulo nuncupantur, & contra omnes terra Culmenſi turbatores. Cam' vero predicti Pomeſani in terra Culmenſi fūrunt ulterius merito non timendi, omnes Cives predicti ab omnibus expeditionibus erunt exempti. Ad defensionem tamen terra videlicet (NB.) usque ad Vistulam, Oſſam & Drinavanam cum fratribus procedere tenebuntur, ut predictum eſt contra quosvis terra invasores. Ex quibus verbis cum manifeſte docemur, Boruſſos non eſſe ad Expeditionem generalem ad strictos quidni igitur obmutescere debebunt iij, quibuscunque ſemper exofa fuit hæc antiqua & tot ſeculorum uſu approbata liber-tas? Neque etiam ob id efficere quicquam poterant Poloni, poſtquam publice in Comitijs bellum Chocimense proxime tubſequentijs de hac materia cum Pruſſis cōtrovertere cœpiffent. Nam poſtquam prudentes & amantes Patriæ Cives præviam & opportunam informationem ex hoc Privilegio adduxiffent, non defuit quoque & prudentiæ illorum vis, quin omnes ad silentium redigerent & ingenium.

§. 2. At vero obijcere hic non nulli ſolent dicentes: ſupra dictum hoc privi-legium dictas ſaltim Civitates Thorunum & Culman respicere, exuſa nobilitate alijs que Civitatibus; rationem etiam ſuę aſſertionis addunt: quoniam ſolum tantum hiſ Civitatibus, & non alijs datum fuifſe Historiæ teſtentur. Sed cum hæc minus ve-ra ſint, merito mihi licebit erroneæ illorum opinioni occurrere responden-do: Quod verba iſta non ita ſimpliciter intelligi debeant, quaſi vero hiſ nulla ratione etiam aliæ Civitates comprehendantur. Scimus enim ex antiquitatibus Pruſſiæ, ſequenti ſtatim tempore Nobilitatem terra Culmenſis, una cum reliquis, poſthac fundatis & erectis Civitatibus Privilegium hocce, non invitis etiam Crucigeris eſte amplexam, & quiden præcipue quoad defencionem terra & cor-rectivam ſ. Commutativam Iuſtitiam: Et ita diplomatici huius fontes primo quidem Satrapiam Culmensem, tubſequenter tamen Elbingensem quoque & Mariæburgen-ſem terram, nec non alia vicina loca irrigaviffe. Quapropter ſi forte aliquis ſcrupu-lus de jure judiciario, aut etiam de juris judiciarij ſententijs emergebat, in eisdem idem dubius articulus a Culmenſis Civitatis Consulibus petendus erat. Unde non fine cauſa celebris Polonorū Scriptor Cromerus de hac Civitate ita loquitur: Ci-vitas, inquit, haec ea dignatione fuit antiquitus, ut ab ea cetera omnis Pruſſia, atque etiā Maſovia pleraque ius peteret: teſtante JAnonymo, auctore tractatus, cui titulus, Kro-nika informacya ze Boruſſi ad generalē expeditionē non tenentur. Quod etiā nunc Cul-menſe dicitur. Ex quibus eluceſcit, quod ſi ſinguli illi Palatinatus & quidem Cul-menſis originales illud Crucigerorum Privilegium quoad Commutativam juſtitiam accepaverint; fine omni etiam dubio quoad ſervitium belli neceſſitantibus Crucife-riſ, amplecti debuerint. Cum alias ſoliuſ Thorunij & Culmæ vires non ſuffeciffent ad tollendos & eradicandos Pomeſanos.

§. 3. Quemadmodum Ergo ad Privilegium hoc ceu fontem quendam suæ libertatis semper confugerunt Pruteni, ita quoque subsequentibus temporibus, et si iam regno incorporati fuissent, nullatenus hoc ptivari poterant, quam maximè etiam circa id Reges Poloniae laborarent. Et ut a Casimiro M, incipiamus. Hic, quamvis An. 1490. in Conventu Dirlavienſi pro festo Nativitatis Mariæ habitu per Legatum suum auxilia aut potius expeditionem contra Turcas fuscipiendam a Prutenis postulavisset, nihil tamen ab his impetravit, præter vacuum illud roſponsū: Prutenos sua jura nunquam esse violaturos: Quod etiam accidisse legimus An. 1492. in Conventu Vilnæ, circa festum Conversionis Pauli celebrato. In quo Pruteni discessu suo quasi muta quadā Chria satis ſufficienter ſignificarunt Regi Casimiro, ſe articulis Privilegiorum nulla ratione cefluros, nec alia contraria juribus suis ullo modo paſfuros.

§. 4. Idem fruſtra tentavit Iohannes Albertus filius Casimiri III. Qui cum Anno 1498. Mariæburgi pro Dominica Palmarum per Palatinum Lencienſem Legatum ſuum, & deinceps eodem anno in Conventu pro Festo Corporis Christi, Grudenti habitu per Legatum Lucam de Weiselrod, alias dictum de Allen Thorunienſem I. V. D. & Epifcopum Varmienſem, expeditionem contra Turcas a Pruſſis urſiſſet, tandem eodem anno pro Festo Visitationis Mariæ hoc retulit roſponſum: Pruſſos nullo modo hoc in caſu ſervitia praefare poſſe, tum ob paupertatem personalem, tum etiam quod Pruteni a Privilegijs, terris Pruſſie datis nullatenus recedere teneantur; ſi tamen primum gravamina amoverentur, tum non dubitandum, Prutenos ut fideles ſubditos acturos. Idem fecerunt An. 1499. in Comitijs quæ Cracoviæ pro Dominica Iudica fuere habita. In quibus cum Rex articulos consultationum regni iijdem obtulifſet, illi ceu fideles Patriæ libertatis custodes responderunt: Non intelligere ſe earum rerum rationes, petentes ut talibus ſibi parcatur. O egregium roſponſum! Quis hic non videt singularē Prutenorum prudentiam? Qui magis ſibi gloriae eſſe putabant ignorantiae accusari, quam talia publice proferre, quæ maximum ſuæ libertati adferrent detrimentum.

§. 5. Quid? ſi ulterius progrediamur & ſubsequentia quoque tempora sub Alexandro Rege, fratre Iohannis Alberti, percurramus; nullum fane vel momētum reperiemus, ex quo deduci poſſit, quod Pruteni ab hac ſua libertate vel latum ungvem, unquam deflexerint. Itaque licet Mariæburgi An. 1504. pro festo Barnabæ Conventus habitus fuiffet, in quo Rex Alexander præter alia ſubſidium ſibi ferendum a Pruſſis postularet, roſponſum tamen ei eſt ab Epifcopo Varmienſi de Allen: Non poſſe de eis cogitari, antequam cautia a Rege daretur quod nullum alienigenam ad di-

gnitares Prusiae promovere veller. Hoc, quæ so, quid aliud est, quam fideles & cot-  
datos constantesque Borussos, licet nonnunquam, et si nullo regio ligamine adstricti  
essent, ex puro candidoque affectu, regibus suis præsidio fuissent, nunquam tamen  
id cum læsione jurium & libertatis suæ fecisse. Immo eo magis sibi ea integræ & invi-  
olata semper reservasse, quod ab Antecessoribus suis fama & virtute perspicuis, hæc  
sibi recuperata esse probe intelligerent.

§. 6. Huc accedunt Comitia illa quæ varijs in locis sub Sigismundo beatæ  
memoriae Rege partim in Polonia, partim in Prussia fuere habita. In quibus et si Rex  
aliquoties subsidium a Prutenis mittendum petiisset, nunquam tamen id impetrare  
potuit, propterea, quod Pruteni semper juribus suis fortiter insisterent. Primus ita-  
que qui habitus est Anno 1509. pro Dominica Reminiscere, fuit Conventus Petri-  
coviensis, in quo Rex per Cancellarium suum præter id, quod monetam Polonicam in  
Prussia validam esse voluit, insuper etiam subsidium a Prutenis petiit; sed cum dif-  
ferri hoc Pruteni postulassent, tandem eodem anno pro festo Pentecostes Mariæbur-  
gi secundus fuit habitus, in quo Rex per Legatum suum Iohannem de Curijs, alias  
Flachsbinder/ item Dantiscanum dictum, ( quoniam erat Dantisci natus ) primum Culmensem post Varmensem Episcopum, capita quidem in præteritis Comitijs pro-  
posita ursit, verum omnia tum imperfecta manserunt, Prussis ad Privilegia sua confu-  
gientibus. Idem factum est An. 1533. Calendis Januarii, quando Grudenti est ha-  
bitus Conventus, & quanquam hic Rex subsidium pecuniarium a Prutenis contra Turcam, Tartaros, & Palatinum Valachiæ postulavisset, eosdemque ad Comitia Cra-  
coviensia vocavisset, responsum tamen ab illis est, *periculorum Regni liberationem ad Consiliarios regni pertinere, non ad Consiliarios Prussiae*. Ut iam taceam Con-  
ventum illum, qui habitus est Anno 1536. Mense Martio Mariæburgi. Ut taceam  
hunc qui An. 1537. pro festo Stanislai, in quo præter alia cum ad subsidia bellica se  
non teneri asseruissent, Ducis Prussiæ exemplum allegarunt. Ut taceam denique &  
hunc qui habitus A. 1540. pro festo Stanislai item An. 1541. pro eodem festo Stanislai, in quibus cum idem subsidium urgebatur, tandem responsum Legatis est: *Petere Prussos, ne graventur Exteris expeditionibus, ceterum Prussia finibus contra hostes se fideliter Invigilatueros*. Qua genetosa responzione et si satis sufficienter docuerint Pruteni, se nullatenus esse ad generalē Expeditionem obligatos, eo tamen adhuc for-  
tius pro his videtur militare Legatio eiusdem Sigismundi ad ordines Prussicæ A. 1542.  
pro festo 3. Reg. facta in qua inter alia ita loquitur Regius Legatus, qui tum erat Epi-  
scopus Plocensis & ProCancellarius, dum inquit, *Quāto magis æquum est ad eandem rem  
Copem scilicet ferendam: D.D. V.V. inclinare, qua etiamsi jura habeant diversa, idem tamen  
certe*

certe tum regno corpus sunt &c. Et denique in eadem Legatione : Nihil illa (Majestas scilicet Regia) De juribus terra huius detractum capit &c. & deinde : Deliberatum erat : Quandoquidem S. R. M. sine gravi molestia toties id frustra egit, non amplius instare. Nam neque Persona dignitatisque sua id putavit in Cassum ea tentari, qua tot missis nuncijs, tot tam accuratishortationibus & non modo obtestationibus obtineri hactenus non potuerunt. &c. Et paulo inferius inquit : Non hoc postulat S. R. M. ut ad quosvis hostium impetus D.D. V.V. vires coniungant, sed si usus veniat quod tamen Divina misericordia prohibere tenetur, ut potentior aliquis hostis ingruat, tum vero postulat S. R. M. ut tanquam ad Commune extinguendum incendium communibus viribus succurratur. Ex quibus verbis facilis sequitur decisio quod Rex Sigismundus noluerit, ut Borussi extra terminos suos Expeditione generali obligarentur, sed tantum, ut ad Commune extinguendum incendium, opem quoque suam & Auxilium Regi & Regno non negarenr.

§. 7. Ut ut vero hæc satis clara & perspicua hactenus esse videantur non dubitavi tamen gravē illā & acutam orationem hic adiicere, qua ordines Prussiae ad novā Legationē Sigism: respōderāt quæ An. 1543. in Convētu extraordinario Mariæburgi per Reverendum Dominum Paulum Plorowski Canonicum Varmiensem Secretarium suum in eadem materia fuit instituta, cuius tenor hic est : Legatio ipsa mixtam,, habens cum acredine decoram consiliorum gravitatem, ita accepta est ab omnibus,, ordinibus, ut & Regium in profligandis subditorum periculis studium & regni colla,, rum non fraternalm æmulationem perspicerent; regiae quidem Majestati agunt sub,, ditissimas gratias, nihil non molienti, ut pacem ubique Terris suis stabiliat. D.D., vero Regni Consiliariis cupiunt & quiores promereri animos, quam hactenus sense,, runt, ubi de iuribus & libertatibus res agitur. Nam quod ipsi prosuis servandis ma,, gna contentione apud Majestatem Vestram semper agunt, hoc non patiuntur Prute,, nis uno cum ipsis corpore regni manentibus esse integrum : Cum aliquot annis sub,, regni regimine præsentis Regiae Majestatis conati sunt eis terrarum Prussiae extor,, quere libertatem & Privilegiorum suorum usum, quem citra Controversiam Proge,, nitores illorum ac omnes D. memoriæ Reges usque in hunc Principem, quantum,, ad expeditiones bellicas attinet, liberum permiserunt. &c. &c. Et deinde in alio,, loco inquiunt : Quæ quoniam non iam nova est actio, cui non semel iam est veritatis rationibus responsum. Primum coram ipsa Majestate in totius senatus regni frequentissimo cœtu tempore Coronationis Serenissimi Regis iunioris. de,, inde Anno 1531. in Comitijs pro festo S. Stanislai Mariæburgi celebratis, de,, inde & Thorunii in Conventu Anno 1537. ac aliis compluribus temporibus ,

indignum putant harum terrarum ordines his iterum gravare aures Majestatis ejus. Verum unum actorum illorum Exemplum DD. regni Consiliarijs, si forte illa non reminiscuntur his adiunxerunt, quod ab ipsis non oculis solum legi sed & mente & fraterna consideratione perpendi petunt, repetuntq; & nunc in compendio, ne velint in eam persuationem abdaci, ut Parem faciant in his rebus Prutenorum & regnicolarum conditionem non solum ob vires, opes, & facultates Prutenorum longe inferiores, quam ue possint cum regnicolarum aliqua parte conferri vel ad paria onera vocari, sed etiam ut immunitates, quas sibi posterisque majores virtute & meritis comparaverant, cum Tyrannidi ad non multò similia opera & servitutes propellenti se subducentes, non bello, aut armis, sed spontanea voluntate inclito Poloniæ regno se subdiderunt, non ut servitutem pristinam majorum obirent, non ut ipsi regnum defenderent. Quæ vel cogitata illos a deditio-  
ne absterruerint, sed ut se in libertatem affererent, ut a Regno defenserentur, ut intra suos fines ab externo metu sub protectione regia essent tuti. Et hæc est e-  
gregia illa oratio, qua, ceu pro aris & focis pro libertate sua dimicantes, Pruteni,  
nullatenus sibi iura & Privilegia sua violari permittebant. Cui cum non absimilis  
sit responsio ad Legationem in Conventu Thorunij Anno 1537. celebratam,  
facta, hanc itaque Curioso Lectori discutiendam relinquo.

§: 8. Iam quoque brevibus nobis confaciendum est quænam sub Sigis-  
mundo Augusto, filio & successore Sigismundi Primi, de hac materia controver-  
sa fuere, Primū itaque, quod adrem mihi maximè facere visum est, ex relatione Sta-  
nislai Hosii J. V. D. Et Episcopi Varmiensis circa An. 1552. in Civitate hac Thoruni-  
ensi facta, depromere non dubitavi. Qui inter alia Comitorum Petricovien-  
sium acta hoc quoque retulit: Incidisse nimirum in Comitijs illis {mentionem uni-  
onis Prussicæ cum Regno Poloniæ. Regem vero summopere miratum esse, cur  
eam detractarent Pruteni. A quibus vero prudenter fuisse responsum innuit: u-  
nionem subiectionis & obedientiæ non detrectare Prutenos. Unioni tamen iuri-  
um Prussicorum cum Polonis se non consentire, cum de peculiari iure Culmensi  
in lusceptione D. Casimiri sibi caverint: Unionem Expeditionis more Polono se  
facere non posse, cum non magna sit Prussicæ nobilitas, rustici etiam pauperes, ne-  
que tanta, ut in Polonia, fertilitas, habere super id Privilegium Casimiri, quod non  
teneantur egredi fines cum armis, siquidem magis expeditat Regi, si Pruteni con-  
tribuant. Et hæc de relatione Hosii. Huc pertinet & illud quod in Comitiis,  
Petricoviæ An. 1562. celebratis, a Prutenicis Consiliariis innuebatur. E quibus  
Clefeldius Cos. Gedanensis inter alia dixisse fertur: Materiam unionis & expeditio-

nis esse vehiculamenta promovendæ Contributionis, neque a quopiam Polono satis hactenus explicata. Ordini licuisse in Prussia alicui quidpiam donare, idem & Regi licere. Quapropter si quæ ab ordine donata confirmavit, ea etiam rata esse debere. Neque etiam statutum Expeditionis in Prutenos extendi posse, properea quod eius constitutioni nemo eorum interfuerit; in absentes vero nihil statui posse. Dicitur quidem Prussia esse cum Polonis sub eodem sigillo, sed ita, ut ab initio proprium gubernatorem habuerit, qui & ipse proprio sigillo usus sit. &c. &c. Plura vide in actis Comitiorum Petricoviensium Anno. 1562. habitorum. Itaque, licet quoque & sub hoc Rege, truculenta quædam invidiae pestis in salutem, hoc est libertatem Prutenorum grassari visa sit, videmus tamen prorsus invalidam fuisse contra vim & potentiam divinorum quodammodo Consiliorum, quibus Magnates Prussiæ semper instructi esse solent.

§. 9. Admotus tandem ad regni quoque sceptrum est Sigismundus III. Anno 1587. Quo rerum in Polonia potiente, ruit quidem in regnum periculosi belli Otromannici moles, attamen non ruit in libertates terrarum Prussiæ. Polonis enim ex una parte ad generalem Expeditionem properantibus, Borussi ex altera constituerunt pro Festo S. Michaelis hic Thorunij conventum, in quo revisis diligentissimèque trutinatis & ponderatis originalibus Terrarum Prussiæ Privilegijs, ex Archivo Thoruniensi depromptis, demum didicerunt, quod nullo modo ad generalem regni Expeditionem sint adstricti. Quare vestigij majorum insistendo, placuit quidem facultatibus iuxta vires regno succurrere, Patriæ tamen suæ charissimæ Borussiæ, corpore & omni ope, si aliqua vis hostilis immineret, ottoni meliori modo assistere. Quod etiam non diffiadere videbatur illis, occupata tum temporis non pridem ante Livonia. Quæ & cauiores Prutenos fecit, & armis mercari securitatem iussit. Hinc congregati armata manu ad Strasburgum Equites Prussiæ, omnium tandem consensu Legationem ad Serenissimum Regem expediverunt, alacritatem suam, hac ipsa, in ope Regno facultatibus suis ferenda, in defendenda vero Borussia promptitudinem suam contestando. Quam cautam Prutenorum declarationem paterno etiam affectu suscepit Rex Serenissimus, probe edocetus, quod multo utilior sit defensio Prutenorum in partibus ad mare collocatis, quam remota armorum (verba sunt Sigismundi III.) cum regnolis coniunctio. Et quanquam in Comitijs proxime subsequentibus adeo excresceret Regnolarum contra Prutenos furor, ut omnes etiam iustissimas illorum rationes reijcerent, acerrimis invectiveibus poenas ferventissime urgendo, Exceperunt tamen viriliter fortiterque fulminantia hæc tela par-

tim cordatus prudentissimusque pariter & vigilantissimus Senator Iohannes Kucz-  
borski Culmenis Pomesaniaeque Antistes, partim potentissimi iurium & Privile-  
giorum terrarum Prussiae Protectores Magnificus Iohannes Dzialinski Palatinus  
rum Pucensis & Lucas Szalanowski Castellanus Chełmensis integratatem immu-  
nitatum tanquam Heroes fortissimi fortissime custodientes. Qua propter Sigismundus (III. scilicet.) veteratae prudentiae princeps, cum sublimi sua prudentia  
& experientia perspiceret, quod nulla firmitas Regni, ubi non est cura iurium &  
immunitatum, omnes denique motos hactenus regnicolarum fluctus composuit,  
Prutenosque circa Privilegia eorum clementissime conservavit. Quod factum est  
Anno 1600. die 29. Maii in Conventu Grudenti celebrato. Non iam demum  
itaque Borussi iuribus his innitendo huic generali belli Expeditioni reclamant  
sed potius vestigij maiorum suorum insitendo, immunitates & jura sibi a Praede-  
cessoribus suis inviolate tradita, intacta quoque ad Posteros suos transmittere stu-  
dent, studebantque semper.

§. 10. Sed cur aliunde pro hac veritate argumenta petimus? cum ex  
publicis constitutionibus Regni satis abunde constet: Borussos nullatenus esse  
ad Expeditionem generalem adstrictos. Evolvamus, quæso, Constitutionem Anni 1659. & Constitutionem Anni 1676. Titulo *Pospolite Ruzenie*, nonne inter alia  
specialia iura, quæ annexis quibusdam Regno Poloniæ Provincijs in Expeditione  
generali conceduntur, ut Palatinatu Plocensi & Masoviæ, Palatinatu Podlachiae  
& Luceoriensi Palatinatu Kijoviensi, Bracaviensi, & Czerniechoviensi; Palatinatu  
Podoliae &c. &c. Tandem quoque circa finem asseritur: iż Piussacy pod  
drwęcę tylko wedlug praw dawnych służbę tę wyprawiąć mają. Quæ verba pro-  
pter Sarmaticæ lingvæ ignaros ita interpretamur: quod Borussi secundum anti-  
qua Privilégia nonnisi ad Drewancam progrederi teneantur. In quibus verbis tan-  
tam mihi vim constitutam esse arbitror, ut, si vel omnibus alijs, hac in parte, de-  
stitueretur subsidijs contra Regnicolas Borussia, ad hæc sola ceu fulcrum & cly-  
peum suæ libertatis semper confugere posset.

§. 11. Secus tamen se res habet cum Prussia Ducali, quæ non iisdem, qui-  
bus Prussia nostra Regalis, gaudet Priviligijs; neque propterea etiam ab Expeditione  
generali prostrus est libera. Testatur id Neugebauerus lib. VI. Hist. Polon.  
pag. 385, dum scribit: Borussi cum tempore Casimiri Jagellonidis excussa Cru-  
cigerorum tyrannide ad Polonus transiissent, & tandem post multa bella vario  
marte gesta Anno 1466. inter Regem Poloniæ & Magistrum Prussiae pax inita fu-  
isset, inter alias conditiones & hæc fuit ut Cruciferi contra quosvis hostes Regi  
ad eis

adessent. Quod foedus cum Sigismundus Primus Rex Poloniae cum Alberto Marchione Brandenburgico primoque Prussiae Duce iterum Anno 1525. renovasset, inter alias conditiones & hæc fuit: ut in Expeditionibus Dux Prussiae cum centum Equitibus hastatis regi ad fines usque Prussiae militares. Propriis sumptibus. Si vero illi extra fines Regni educerentur, ut stipendio regio fruerentur. vid. Neugeb. lib. VII. Hist. Polon. pag. 507. Pacta vero ipsa vide apud Janulzium lib. VII. Constit. titulo 1. pag. 913. seqq. Cum demum quoque Anno 1663. Serenissimo Friderico Vilhelmo Electori Brandenburgico Supremum in Prussia Imperium concessum esset, inter alia puncta & hoc continebatur, ut Serenissimus Elector regi Pol. bis mille milites mitteret auxilio, stipendio regio militatores. Pacta ipsa vide in Diario Europ. Continuat: VI.

§. 12. Excusis itaque iam omnibus tum privatis tum publicis in Prussia privilegiis & adductis rationibus. Non potest tandem aliud inveniri vinculum servitij militaris, quam quod Pruteni (regales) ad Terminos saltum Istulæ, Ollæ, & Dwęcę in Expeditione generali sint adstricti. Siquidem exira illos terminos nunquam subditos suos, exceptis invitatis cogere potuerunt Crucigeri offensive. Quare si cuiquam natura pugnaci præinsertæ non satis faciunt rations, sufficiat saltim auctoritas magni illius Historici Polonorum Cromeri. Qui Expeditionem Borussorum his inter alia describit verbis: Quod ad bellum attinet, si quivis Hostium ingruat Prussiæ, domesticis communibusque plebis cum nobilitate viribus depellitur. Et nobilitas quidem cum proceribus equestris militat, scutari item & liberæ Civitates Equitatum atque peditarum suppeditant. Rustici peditarum tantum &c. Visum itaque ordinibus Prussiæ antiquum hunc bellandi modum ad terminos videlicet expressos turbare aut inverttere semper esse iniuriosum & onerosum. Siquidem in minimis quoque rebus omnia antiquæ consuetudinis momenta servanda. Quare cum sciant, quod super omnibus negotijs melius olim atque rectius provisum sit, & quæ convertuntur in deterius mutari, constantissime igitur insistunt edicto Alcibiadis ita censentis. Eos hominum tutissime agere, qui præsentibus moribus legibusque contenti, etiamsi deteriores sint, minimum variantes Rempubl. administrant.

§. 13. Neque obstat (1.) quod obiectatur a nonnullis. Rex ipse proficitur in bellum, Ergo & Prussi proficisci debent. Nam & Consequentiam esse absurdam. Nulla enim potest esse comparatio Regis cum Terris Prussiæ. Nam quod Rex proficitur ad bellum, hoc facit mera quadam necessitate compulsus. Siquidem ante inaugurationem semper hoc iuramento nobilitati confirmare debet,

quod

quod nunquam sit regnum deserturus & neglecturus. sed contra omnes hostium & adversariorum insultus una cum universis regni incolis defensurus. At vero quæ necessitas cogit Prussos? nulla sane. Qui non se regno tradiderunt, ut Regnum defenderent, sed ut ipsi a Regno defenderentur. Neque etiam se suasq; facultates compulsi sed sponte regno detulerunt, cum esset in eorum facultate sub priorum Dominorum potestate permanere, aut alijs quibusvis se submittere.

§. 14. Nec obstat (2) quod adducantur verba illa, quæ extant in Privilegio Casimiri Anno 1476. terris Prussiae dato. Quando inter alia ita loquitur B. memorie Rex Casimirus: Hoc duntaxat pro nobis & successoribus nostris excipiendo & reservando, quod quilibet dignitarius & Terrigena Terrarum Prussiae ad bellicam Expeditionem, quotiescumque necessitas exoptaverit illam per nos & successores nostros indici, in armis & Equis decentibus, iuxta Continentiam Priviliegii sti & tenorem, alias qui caret Privilégio, secundum facultatem bonorum suorum servire erit obligatus & obstrictus, prout & alij Incolæ regni nostri ad hoc ipsum obligantur servitium. Nam R. verbis his nihil sane inferri contra Privilégium primum Prutenorum. Sunt enim verba hæc ita comparative interpretanda: Quod sicut regnolæ ultra fines regni procedere ad generalem Expeditionem non tenetur; ita Prutenos quoque extra suos fines proficisci non teneri. Atque hinc patet hoc Privilégium Casimirianum nihil prorsus derogare Privilégio Culensi. Sed semper vetum existere. Quod Pruteni in generali Expeditione nunquam teneantur extra Terminos suos procedere.

§. 15. Nec obstat (3) dum objicitur: Constitutio Anni 1621. est generalis, ut quicunque habuerit bona terrestria, ad eam quoque teneatur. Ergo & Borussi ad hanc tenebuntur. Nam R. (1) est quidem generalis, quod non negamus, respectu regni Pol. aliarumque sibi annexarum provinciarum, sed non est generalis respectu Borussiæ. Quæ cum specialibus suis iuribus & privilegijs (ut iam fatis hactenus demonstratum est) in quavis expeditione bellica usitatis, gaudeat; non poterit ergo contra hanc tale publicari edictum, quod tam publicum quam privatum illorum privilegiorum eventat usum. Privilégia enim a maioribus nostris virtute & fama recuperata; a tot Principibus fide & iustitia præclaris, publico consensu confirmata, & denique longa & antiqua consuetudine corroborata, semper firma & Immunitalia esse oportet, neque etiam a successoribus, ad quos semper extenduntur in infinitum, irrita fieri debent.

¶. 2. Constitutio hæc nullo modo potest restringi ad Borussiam, si quidem per hoc ipsum, sublatum fuisset Privilgium Casimiri quod datum est Anno 1454. ordinibus Prussiae Cracoviæ. In quo inter alia ita loquitur Rex Casimirus: Nobiles & Cives atque singulos incolas terrarum nostrarum prædictarum Prussiae, in iuribus, libertatibus, literis, Priviliegis, munimentis eorum, quæ a principibus spiritualibus & secularibus, regibus & Dominis terrarum prædictarum obtinent, conservabimus, fovebimus, & defendemus. Sublatum quoque fuisset Privilgium Iohannis Alberti, quod Anno 1493. hic Thorunij ordinibus Prussiae est datum, in quo inter alia hæc reperiuntur verba: Promittentes insuper in verbo nostro regio & tenore Præsentium, spondentes, eadem ipsorum iura, libertates, & Privilégia, per omnia rata grata habere & inconcusse, ingiter, inviolabiliter & perpetuo gratiosè conservare. Ut iam omittam Privilgium Sigismundi I. quod cum hic adiaceere supèrvacaneum esset, sufficiat iam saltim nobis, quod satis & abunde ex illis duobus Priviliegis constet, Constitutionem illam nullo modo Borussiam respicere. Alias enim si illud verum esset, quod tamen est falsissimum, sequeretur utique quod Constitutio ista facta fuisset in præjudicium & contemptum omnibus retro Principibus, quod dicere est absurdum.

¶. 3. Quod Constitutio illa Anno 1621. facta non respiciat Borussiam patet exinde, quia sequentibus temporibus in Constitutione Anni 1659. publicè sancitum est, ut Borussi tantummodo ad Driwanzam secundum antiqua Privilégia progrederentur, quemadmodum & Palatinatus Podoliae secundum eandem constitutionem nonnisi ad Camenecum procedere tenetur. Ex quibus ergo apparet, quod certe in Constitutione Anni 1659. nil decretum fuisset contra illam Constitutionem, quæ facta est Anno 1621. nisi probè exploratum fuisset Regi & Senatöribus Regni, hanc nullatenus fuisse generalem, neque propterea Borussiam quoque respicere potuisse.

§. 16. Nec obstat 4.) dum dicitur: octo millia fere possent ex Prussia confici, at nulla inde utilitas Regi esset, si Borussi ad generalem Expeditionem non proficerentur. Nam respondetur negando consequentiam, neque enim sequitur 1.) dum infertur: octo millia possunt ex Prussia confici. Ergo tenebuntur ad Expeditionem generalem. Nam respondetur per multitudinem illam, quæ confici potest ex Prussia, non possunt tolli Privilégia Prusica, quæ semper integra & salva conservantur a Prutenis, non obstante id, quod maximus militum numerus ex Borussia confici poscit. Neque sequitur 2.) dum dicitur, quod nulla sit exinde Regi utilitas. Nam 2.) fallum id esse. Est enim maxima inde utilitas, sed

quæ

Quæ non ex coacta sed libera voluntate Prutenorum Regi accedit. Hinc, licet nullo iure teneantur Pruteni, ut militem Præsidiarium Regi in Expeditione auxilio mitterent, scimus tamen nunquam defuisse animos Borussis in quavis necessitate ad opem regi ferendam. Testatur id reciproca terrarum Prusiarum sponso, quam in D. Casimiri Pol. Regis verba pro temporum illorum conditione Anno 1454. Thorunij fecerunt, dum inter alia inquiunt: Promittentes pro nobis hæreditibus & successoribus nostris, sub fide & honore ac onere per nos præstiti juramenti, quod præfato Illustrissimo Principi D. Casimiro Pol. Regi & eius successoribus, Regibus Pol. velut fideles & subjecti, quemadmodum cœteri ejusdem Incolæ Regni parebimus auscultabimus & obediemus fideliter, & constanter perpetuo & in ævum, juribus nostris semper salvis, in ipsiusque Divi Regis, & suorum successorum Poloniæ Regum conditione, potestate, gubernatione, subiectione, imperio & regimine ab hac hora in perpetuum perdurabimus & consistemus. Promittentes Prafato Domino Casimiro Regi & suis successoribus regibus Pol. in omnibus felicibus, adversis & quibuscumque casibus, ope, præsidio, Consilio & auxilio, fideliter contra quosunque eorum hostes & adversarios &c. &c. corpore, animo & rebus & effectu assistere. Ex quibus verbis manifeste appareat, quod maximam tamen ex Borussia utilitatem habeat Rex, licet de iure non teneantur eidem ultra terminos suos Vistulam, Oslam, & Driwanzam cum militibus suis succurrere.

§. 17. Nec obstat; quod recurratur ad Constitutionem Anni 1543. quæ facta est in Comitijs Petricoviensibus in qua, inter alia quoq; mentio inieicitur de Expeditione Prutenorum, Oswiecimensem, Zatoriensem: Nam & Ex hac Constitutione non patet, quasi vero ordines regni poscant ut Pruteni in Expeditionem cum regnicolis proficiantur, sed ut cum illis communes vires iungant, vires autem non personales, sed pecuniarias, ut videre licet ex responsis Anni 1544. e Conventibus Mariæburgensi- bus & Grudentinensibus datis: Neque etiam in Constitutione ista ulla sit mentio militum Præsidiariorum, sed tantummodo facultatum ut scilicet facultatibus suis Prusia-

regno succurrent. Verba eius ita se habent: Terra Prussiae quoniam ultro se facturas receperit, ut contra vim hanc FACULTATIBUS suis nobis & regno non deessent, mittet Sacra Regia Maiestas Cōmissarios suos ad Comitia quae in Maio Marienburgi, habebūtur, ut ordinationem quae facta est hic, illis declarent & ad eandem illos inducant. Attamen ne aquam induxerunt, prout lucide patet ex infra scriptis statuti verbis. Hæc ordinatio eti de cœrta est, quia tamen Nuncij Lithvaniæ, Prussiae, Zatoriensis & Owięcimensis desiderabatur, a quibus consensus ad mutuam & reciprocā huiusmodi inter se bellicæ defensionis cōiunctionem videbatur esse necessarius, statutum est & ab omnibus ordinibus regni receptum, ut hæc omnia ita Cōscripta &, cōclusa ad proximum regni conventum maheant. Et ulterius his verbis: si minus videlicet, si prædicti Ducatus non consenserint abrogata omnia & nullius roboris censentur. En Clarissimam Demonstrationem, quod constitutione hac Borussi nullatenus adstringantur ad generalem Expeditionem. Est itaque eritque semper verissimum, quod Borussi non nisi ad terminos suos progredi teneantur. Hæc nunc, in posterum plura.

---

*Aurea libertas Prussorum carior auro,  
Te trahit in doctum non reticenda gregem.  
Inde feres merito laudis præconia claræ,  
Prussia Te digno munere grata vebet.  
Nam pietas, virtus, doctrina, pertia Iuris,  
Historiaeque fides Te decorare valent.  
Perge ita; sic gentis Pomeranæ gloria crescat,  
Crescat in immensum Prussia nostra decus.*

Utrique genti felicia quæque  
precatus, egregios Hintzij conatus  
omnibus bonis commendat.

P R A E S E S.